



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 12. Circa interdicti relaxationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

non est interdictum, Censura, sed quædam poenalis prohibitio ab interdicto distincta.

CAPVT XII

Circa Interdicti Relaxationem.

DVBIVM LIV.

An quoad aliquos effectus manente interdicto suspendi id possit à quocumque feratur?

²³⁷ *Quæstio 12.* Suspendi interdictum ad tempus ab eo qui id tulit posse, dubium non est. Quia cum potestatem habuerit apponendi, & tollendi illud, à fortiori id potest pro aliquo tempore suspendere: illa enim suspensio est interdicti sublatio, & tacita illius impositio. Quæsierim vero, an quoad aliquos effectus manente, suspendi interdictum possit?

²³⁸ *Tulit qui. Item à quocumque laico fuerit.* Potest profecto. Quia Cap. Dilectis filiis, de appellation. Decanus quidam interdicti sententiam ferens, eius effectum, ad tempus decreuerat suspendendum. Ergo non solum à Pontifice, sed ab eo, qui interdicti sententiam tulit, potest interdictum suspendi quoad aliquos effectus, quoad alios manente. Sic Doctores multi ad hoc cap. quos sequitur Covarruvias ad e. Alma, part. 2. §. 2. num. 4. Natarr. sum. c. 27. num. 165. Henriquez l. 1. §. 5. 1. numer. 4. Syluester verbo Interdictum §. quæst. 5. Angel. eodem 8. num. 3. Sarius disput. 38. sect. 3. num. 5. Probabile reputat Auila p. 5. d. 6. dub. 4. concl. 1. 2. & 3.

²³⁹ *Non potest.* Non potest à quocumque feratur, sed solum à Pontifice. Quia interdicti effectus sunt ei ex inris dispositione annexi, imò in ipsorum priuatione interdicti essentia à Pontifice constituta est: at nemini alteri à Pontifice datum est Pontificiam dispositionem mutare: ergo. Ita Abbas in Cap. Ad hac, de appellationib. Auila conclusione quarta, Hurtad. de interdict. diff. 16. num. 50.

¹⁴⁰ *Ita defen. da.* Fateor, primam sententiam communem, & admodum esse probabilem, probabiliorem tamen reor esse secundam. Nam interdictum est locale, vel est personale. Si locale est, locus red- ditur incapax, ut in eo diuina sicut prius peragantur. Quod adeo est verum, ut fere omnes Doctores asserant, perseverante interdicto, non posse Iudicem ibi diuina celebrare; nam æquè ipsi, & alij lege à iure communi inducta ligatur. Ergo signum est effectus interdicti non posse suspendere. Eadem ratione id de interdicto personali probo, à cuius effectibus eximi nullus potest, nisi ab interdicto eximatur, quia non ab alio, quam à Pontifice effectus illi interdicto annectuntur. Fateor tamen posse Iudicem partem interdicti suspendere, & priuare personam interdictam à diuinorum assistentia tantum, vel à celebratione, vel à Sacramentorum receptione. Sed hæc priuatio Esch. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

DVBIVM LV.

Destructa Communitate interdicta, si aliquis ex illa subsistat, ligaturne interdicto?

²⁴¹ *Quæstio 13.* Cessat interdictum absque absolutione, subiecto illius destructo: ut si latum sit in aliquam Ecclesiam, illa vero omnino destruat, cessabit interdictum: quod non est verum cum locus Ecclesie interdictus est; quia ibi manet solum Ecclesia. Idem dixerim de Communitatis interdicto; si enim hæc omnino extincta sit, illius interdictum cessabit; quia cessat subiectum, cui inesse debet. Quæsierim autem, an si destructa Communitate, aliquis ex illa subsistat, adhuc interdicto ligetur?

²⁴² *Ligatur.* Ligatur quidem. Quia iura Communitatis in ipso perseverant. Argum. leg. Sicut municipij, ff. Quod cuiusque vniuersitatis. Sic Alterius de interdict. d. 1. c. 3. Bonac. tom. 1. de Cens. d. 5. pun. ult. m. 3.

²⁴³ *Non ligatur.* Non ligatur. Quia interdictum Communitatis non illigat singulas personas, nisi quatenus Communitatis partes sunt. Ad destructa Communitate partes illius esse non possunt: ergo. Ita omnes reliqui Doctores, quos memorat, ac sequitur Castro Palao de Cens. d. 5. pun. 7. §. 1. m. 1.

²⁴⁴ *Idem affirmo.* Idem affirmo videns legem illam Sicut municipij ad summum probare, iura favorabilia Communitatis singulos destructa Communitate retinere, non autem probat poenali- bus grauari.

DVBIVM LVI.

Parochus, aliueve proprius Sacerdos potestne interdictum personale speciale non reservatum in foro conscientie relaxare?

²⁴⁵ *Status quæstionis.* Certum est, interdictum personale speciale relaxari posse tum ab Episcopo, tum à Religiosis habentibus priuilegium absoluenti à Censuris, ut ex communi docet Henricus, lib. 13. capit. 35. numer. 3. Auila part. 5. disputat. 6. dub. 2. Dubium vero est de Parocho, alioue Sacerdote proprio, num possit in foro conscientie interdictum hoc personale speciale relaxare?

²⁴⁶ *Non potest.* Minime potest Quia speciale ad hoc priuilegium requiritur. Vnde Religiosi ad confessiones audiendas approbati, nequeunt huiusmodi relaxare interdictum, nisi speciale ad id habeant priuilegium. Sic Henricus l. 1. c. 35. m. 2. Sayrus l. 5. thes. c. 15. m. 12. Auila p. 5. d. 9. dub. 1. concl. 2.

²⁴⁷ *Potest plane.* Potest plane Quia hoc interdictum, sicut & excommunicatio non priuat absolutione Sacramentali.

mentali, quæ est ratio propter quam Doctores concedunt posse Parochum ab excommunicatione non reservata absolueri, præcipue quia ratio dispositionis in cap. Nuper, de sententia excommunicationis, procedit circa hanc Censuram non reservatam. Ita Suarius *disputation. 38. section. 8. numer. 9.* Coninch. *disputat. 17. numer. 77.* Layman *libr. 1. tractat. 5. part. 4. cap. 5. numer. 3.* Bonacin. *tom. 1. disputat. 5. puncto ultimo, numer. 6.* Filiucius *tractat. 18. capit. 5. quest. 8.*

²⁴⁸ Idem cenfeo. Ideo enim Gloss. ad cap. *Præsentia*, de sententia excommunicationis, in 6. verbo *Generaliter*, æquiparat Censuras excommunicationis, & interdicti personalis specialis quoad absolutionem. Dixi verò *Non reservatum*: nam ab interdicto personali speciali reservato nullus alius præter ipsum, cui est facta reservatio, vel illius Superiorem absolueri poterit.

DUBIUM LVII.

Ad interdictum relaxandum, necessariumne est iuramentum de non patrandò amplius delicto, ob cuius causam interdictum est latum?

²⁴⁹ *Questionis status.*

Nulla est determinata forma relaxandi interdictum, sed illa sufficit, quæ voluntatem absolventis exprimat. Nec ceremoniæ aliquæ, ac solemnitates in huius Censuræ absolutione sunt præscriptæ. Quærimus autem, an necessarium sit iuramentum de non patrandò amplius delictum, ob cuius causam interdictum fuit latum?

²⁵⁰ *Necessarium est.*

Necessarium est. Quia pro absolutione ab excommunicationis Censura semper requiritur, nec sine illo absolutio confertur: idemque assollet in absolutione interdicti observari: ergo innuitur huiusmodi iuramentum esse necessarium addicendum. Sic Sayrus *libro quinto, thesaur. capite decimo quinto sine*, iunctis iis, quæ tradit libro quarto, *capite decimo septimo, numero trigesimo.* Argument. Cap. *Super eo*, el. 2. & Cap. *Venerabili*, de sententia excommunicationis.

²⁵¹ *Non est necessarium.*

Non est necessarium. Quia huiusmodi iuramentum pro sola absolutione ab excommunicatione semper iniungitur, non semper pro aliarum Censurarum absolutione: ergo innuitur, ad eam necessarium non esse. Ita Suarius *d. 38. sect. 3. n. 1.* Palao *de Cens. disp. 5. punct. 7. §. 2. numer. 11.*

²⁵² *Authoris sententia.*

Ego quidem existimo expediens admodum esse, ut iuramentum exigatur, maxime cum delictum est grave: non tamen esse necessarium, sed præstita satisfactione reali, si fieri potest: sin minus cautione de satisfaciendo data, absolutionem absque iuramento adhibito concedi posse.



CAPVT XIII.

Circa casus nonnullos, in quibus ipso iure latum est interdictum.

DUBIUM LVIII.

Ut interdicto afficiatur, qui impedit Legatos, vel Nuncios Apostolicos, ne suum officium libere exercent: debent id impedimentum apponere consuetudinis prætextu?



Contineretur interdictum in Extravag. *Super gentes*, de consuetudine intercommunes. Ibi enim Domini Regni, Castri, Civitatis, Oppidi, vel alterius loci impeditentes, ne Legatos, vel Nuncios Apostolicos in suas terras ingrediatur, neve suum libere exequatur officium, excommunicationi subiiciuntur, & eorum Regna, Civitas, Castrom, & loca supponuntur interdicto, dum in ea contumacia persistunt. Quæritur autem, an hoc impedimentum apponere debeant consuetudinis prætextu, ut hac Censura illigantur?

Debet prætextu consuetudinis apponere. Quia in præfatione huius constitutionis, quæ est adversus Dominos temporales prætendentes sibi competere ex consuetudine, ne vilius Legatus ab ipsis non petitis eorum terras ingrediatur, munusque suum exerceat: quam consuetudinem ut rationi contrariam, & Apostolicæ authoritati detrahentem Pontifex reprobat. Præterea Rubrica, sub qua hac constitutio collata est id confirmat: est enim *De consuetudine*. Sic Suar. *d. 37. sect. 1. n. 22.* Alterius de *interd. d. 12. c. 3. sine.*

Non debet sub consuetudinis prætextu impedimentum adicere, sed satis est, quocumque titulo præstetur. Quia licet Pontifex occasione dominorum, qui prætextu consuetudinis hoc impedimentum Legatis Sedis Apostolicæ apponebant, hanc constitutionem ediderit: tamen cum legem tulit in futurum, nullius consuetudinis meminuit. Ita Ponac. *tom. 3. d. 5. qu. 3. punct. 5.* Sayr. *l. 5. thes. c. 12. n. 2.* Tolet. *l. 1. c. 54. n. 1.* Vgol. *tab. 5. c. 3. n. 7.* Sylvest. *2. v. b. Interdictum 4. quest. 1. numer. 7.*

Communior, ac tutior sententia est, opus non esse ad hanc Censuram incurrendam, quod præstetur impedimentum prætextu consuetudinis, sed satis esse, quocumque titulo appenatur. Ideoque omnes, quos legi, Doctores præter Suarium, & Alterum, nihil amplius requirunt ad hanc Censuram incurrendam, nisi quod Sedis Apostolicæ Legato impediatur ingressus, & eius muneris exercitium.

DUBIUM